

PRAESES
AD PEREXIMIUM DOMINUM
RESPONDENTEM.

AD virtutis & sapientiae ardua eniti non nisi per iter difficillimum licet. Siquis hoc superaverit Numinis praesidio, & Prudentum consiliis monitisque obtemperando, viam tam duram emensus fuerit, felicitatem adipiscitur tandem non poenitendam. Tibi, amantissime STEINBACHI, sponte in illa semita decurrenti, calcaribus non esse opus videbatur, ubi etiam fortunae difficultatem, quam nonnulli pro inertiae pulvinari habent, in stimulum solertiae, pulchrorumque conatum convertisti. Totus etiam ardere visus es mihi, ubi in publicum prodire, & strenua veritatis defensione Patronis summis te commendare animum induxisti. Faciet Numen benignissimum, ut fructus tuae diligentiae & modestiae aliquando locupletissimos colligere, & de juventute non inaniter, sed cum accessione pulcherrimarum doctrinarum, transacta, laetari luculenter queas. Quod ut assequaris, propitios tibi Fautores, post Deum, precor, qui te in gloriam Ipsius & suam, liberaliter foveant, & benignitate sua prosequantur. Haec enim summa votorum erga te est, quibus annum praesentem tecum finio. Dabam e Museo, die XXII. Decembr. M DCC XI.